



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De his qui truncationes membrorum, deprædationes, & domorum incendia  
fecerint. xxx.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

si quis præsumpserit, sacrilegus habeatur, & sicut sacrilegus iudicetur. Ipsos autem qui hoc agunt: clericos ac dominici sacerdotum persequi eosque infamare audiuius, ut malum per malum addentes deteriores fiant, non intelligentes quod Ecclesia Dei in sacerdotibus consistat, & crescat in tempore Dei: & sicut qui Ecclesiam Dei vastat, eiusque prædia & denaria expoliat, & inuadit fit sacrilegus, sic & ille qui eius sacerdotes insequitur, sacrilegij reus existit, & sacrilegus iudicatur.

*De his qui truncationes membrorum, depraedationes & domorum incendia fecerint. Cap. XXX.*

*Ex decr. Eutychia papa.* **S**I quis membrorum truncationes, domorum incendia fecerit, siue facere iusserit, aut facienti consenserit, quodque de his vnique legaliter vel amicabiliter coram episcopo ciuitatis aliisque ciuibus non emendauerit, ab Ecclesia se priuatum cognoscat. Si verò post secundam & tertiam conuentionem, cuncta in quibus arguitur non emendauerit, tanquam ethnicus & publicanus ab omni Christianorum collegio separetur.

*Quòd cum excommunicato orare non liceat. Caput XXXI.*

*Ex dictis S. Isidor.* **C**um excommunicato, neque orare, neque loqui, nisi quæ ad eandem excommunicationem pertinent, uel uelci cuique liceat.

*De eadem re. Cap. XXXII.*

*Ex dictis eiusdem.* **S**i quis frater, aut palam aut abscondite cum excommunicato fuerit locutus, communem statim cum eo excommunicationis contrahet pœnam.

*De eadem re. Cap. XXXIII.*

*Ex dictis Fructuosi episcopi.* **C**um excommunicato nullus loquatur, neque qualibet eum compassione vel miseratione refoueat, neque contradictionem, vel superbiam confortare præsumat.

*De eadem re. Cap. XXXIII.*

*Ex concilio Antioch. cap. 2.* **C**um excommunicatis non licet communicare, nec cum his qui per domos conueniunt, deuitantes orationes Ecclesie, ubi simul orandum est. Si quilibet autem ex capto deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, pœnam istam iste priuetur communione.